AD

EXAMEN PUBLICUM

IN

GYMNASIO ELISABETANO

CUM

DISCIPULIS OMNIUM ORDINUM

D. D. XXV. ET XXVI. MARTII INSTITUENDUM

ET

AD ORATIONES,

QUAE D. XXVII. MART.

HABEBUNTUR,

BENEVOLE AUDIENDAS

SUMMA, QUA DECET, OBSERVANTIA

INVITAT

SAM. GODOFR. REICHE,

RECTOR ET PROFESSOR.

INSUNT:

I) DE VETERUM SCRIPTORUM INTERPRETATIONE IN GYMNASIIS ITA FACTITANDA, UT AD DIVINAE VERITATIS VIRTUTISQUE SENSUM AC STUDIUM CONFORMENTUR IUVENUM ANIMI, ORATIO IN SUSCIPIENDO MUNERE HABITA A JO. FRIDR. HAHNIO, PRORECTORE ET PROF.

II) ACTA ANNI SUPERIORIS SCHOLASTICA.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSIO - BARTHIANIS.

MDCCCXXXIII.

1833

ORATIO*)

QUAM MUNUS AUSPICATURUS A. D. XII. CAL. MARTII MDCCCXXXII

HABUIT

JOANNES FRIDERICUS HAENEL.

Ante hoc quinquennium, quum tertii Professoris provinciam ut rite auspicarer in hanc cathedram escenderem, prior surrexerat verba facturus, in antiquarum literarum professionem gubernandique Gymnasii societatem adscitus vir egregius, adhuc animis omnium vel dicam oculis inhaerens, eximiis ille splendens ingenii dotibus, doctrinae copia exquisita instructus, morum et consuetudinis suavitate et comitate ornatus, et vero docendi, disserendi et iuvenum animos bonarum artium amore et studio imbuendi tanta praeditus facilitate et felicitate, ut in hoc natura quid efficere posset, experta videretur. Erat igitur tunc quod de Wellauero nobis collega conciliato, erat quod iuventuti talem tantumque magistrum nactae gratularemur. Etenim floruit quoque ea aetate viguitque tam firma et tenaci, ut videbatur, corporis valetudine, quae eum diuturnum scholae praesidium ac decus futurum desponderet. Quae spes quam nos fefellerit, iam hodierni diei celebritas, viri illius nil nisi memoriam et desiderium repraesentando, testis est.

Nondum exaruerant lacrimae de tanta clade profusae, quum eiusdem anni vere fatalis eadem aestas tristium fecunda novam scholae, urbi, literarum denique reipublicae luctus materiem addidit Etzleri obitu, viri doctissimi, humanissimi, mihi multis nominibus

*) Quamquam mihi hanc scriptionem relegenti atque pertractanti multi loci emendandi aut accuratius exponendi videbantur, tamen, praeter alias causas idoneas, etiam religione quadam permotus destiti a consilio et orationem, sicut habita est, nulla prorsus mutatione facta, typis exscribendam censui, ne me voluisse alium audiri alium legi speciem prae me ferrem. H.

nunquam non pia mente colendi. Qui vir, in his castris ad senectutem prope provectus, postquam per quatuordecim annos summa cum industria et dexteritate, quamquam sine pompa et strepitu, rebus nostris praefuit, increscente valetudinis gravitate, quae erat eius modestia, in secundum locum se receperat, quem locum mox viribus denegantibus, successori modo laudato concessit. — Doctrinae ambitum, morum integritatem, virtutis praestantiam et de literarum studiis promovendis atque de Gymnasii nostri flore merita, triginta sex annorum spatio cumulata, haec omnia dignis laudibus efferre, animo quidem me impellente, nec vires sufficiunt, nec huius temporis est, et sane egregia ingenii documenta, tam scriptis exarata quam institutis scholasticis salutaribus deposita, nec non permultorum, quibus disciplina eius frui contigerat, pectore recondita, ita loquuntur, ut meo praeconio haud indigeant. Etsi vero Etzlerus his proximis annis scholae negotiis resolutus honesto otio fruebatur, tamen studiorum nomine, virtutis exemplo et institutorum apud nos perpetuitate semper, dum vivebat, noster putandus erat, ita ut eius ex vita decessus ad nos quoque non pertinere iure meritoque non potuerit.

Ita gemino fere casu lugubri is officiorum locus vacuefactus est, quem ut nunc ego tradito more capessam, Dei sapientia admiranda Vestraque voluit, Patres civitatis huiusque Gymnasii Praesides Amplissimi, singularis erga me benevolentia. Et quamvis audacius quam verius dictum esset, si profiterer:

„Sunt mihi, quae valeant in talia pondera, vires;"

hoc tamen sincere mens mea me iubet adfirmare:

„Est animus Vestros certe sensurus honores."

Nam profecto, est mihi animus et voluntas, Vestrae omniumque, quorum interest scholae nostrae salva conditio et decus, quantum vires valeant, Deo eas prosperante, satisfacere et postulationi aequae et exspectationi. Ut autem, qua potissimum via ac ratione in iuventute ad humanitatem — qui est studiorum omnium nostrorum finis propositus — recte conformanda vel hucusque usus sim vel utendum existimem, imagine quasi adumbrata cernatis: oratiuncula, quae de his sentiam, demonstrare periclitabor, venia Vestra dicturus:

De veterum scriptorum interpretatione in Gymnasiis ita factitanda, ut ad divinae veritatis virtutisque sensum ac studium conformentur iuvenum animi.

Ad quae benignis auribus accipienda Vestram, Viri Amplissimi, Doctissimi, gratiam et indulgentiam studiose exoro.

Erudiri, Auditores, nisi ab eruditis, homines non posse, inter omnes constat, et quales sint, quos duces sequamur, tales ferme ipsos fieri probabile est. Multum igitur re-

fert, quorum commercio utamur, multum etiam, id quo modo, qua mentis et animi agitatione in rem nostram convertamus. Fingatis, quaeso, cogitatione Vestra eruditorum hominum coetum qui ad tempus docte et iucunde terendum convenerint, et nos una; quid erit quo attendamus necesse sit, ut inde fructus ad humanitatem excolendam quam plurimos percipiamus? — Videmus ibi alium aliis ingenii dotibus artibusve praestare, audimus sermonem, varias noscimus res et sententias, mores conspicamur. Nunc aures allectat oris facundia, qua quis expedite, commode, emendate, perspicuis et elegantibus verbis loquitur; alius orationis genere fervido, gravitate, luminibus, leporibus ornato animum movet et occupat; nunc sententiarum sublimitatem vel ubertatem, iudicii acumen, doctrinae copias, prudentiae multo rerum usu paratae praestantiam admiramur. Alius disputatio rerum divinarum et humanarum subtili cognitione, pie sensis, consiliorum sapientia et probitate verecundiam incutit audientibus. Neque decorum quod elucet in vita, morum elegantia et dignitas, consuetudinis facilitas et modestia nos praetereunt, quin iis oculos animumque pascamus. Occurrit quoque interdum in sermonibus quod nos offendat, dicta iaciuntur quae non statim liqueant, proferuntur sententiae quibus nostram adscribere vetet veritatis seu honestatis sensus nobis insitus, aut quae certo iudicio ponderari debeant, ne in errores inducamur. — Quid igitur horum est quod omittendum putemus? equidem ne ullum quidem censeo. Nam si in vocum dictionumque decore et suavitate unice haereamus, loquaces forsitan verborum opifices evadamus fieri potest, at destituti rerum apparatu, unde, quod usus postulet, promere possimus. Sin illis omissis in rebus toti versemur, — ut simus omni literarum et doctrinae varietate instructi, tamen dicendi tradendique facultate carentibus iners ista rerum abundantia stagnabit. Sententiis autem et opinionibus passim occurrentibus qui, utpote clarorum hominum auctoritate subnixis, nullo discrimine facto, temere fidem habuerit, is levitatis, credulitatis et animi inconstantis opprobrium vix effugiet. Quis denique negaverit, illum, qui in doctorum hominum consuetudine omnia alia cuiusvis generis praeclara et laudabilia cum observasset tum sibi studiose informasset, unius tantum rei eiusdemque praestantissimae et primariae, quae in morum integritate et limpidissimo eorum fonte, divinae veritatis virtutisque studio posita est, nulla ratione habita, eum profecto plus defecisse quam profecisse et a vera humanitate omnino expleta longe aberrasse. Eodem modo se habet, ut mihi quidem videtur, nostra in scholis conversatio, ubi quasi doctissimorum hominum in coetu adsumus, quum eorum scriptis nos oblectemus. Enimvero, quemadmodum adolescens, nondum iudicio satis valens neque intelligentia et usu confirmatus, e consortione quamvis praeclara parum utilitatis capiet, nisi adsit prudens amicus paterno animo eum amplectens, qui non nunquam, tum ipso in consessu tum egredienti ex eo, vel quae in dispu-

tantium sermone intellectu difficiliora fuissent expediat, vel rerum obscuritatem et sententiarum involutarum notiones aperiat, vel denique eius animum ad ea advertat, quae potissimum ex auditis tenenda, quae leviora habenda aut forte adeo sint fugienda, rationibus monstratis et legibus, quibus in quacumque re bona a pravis, a speciosioribus et falsis proba et sincera dignosci debeant; ita etiam in iuvenum cum Graecorum et Latinorum libris classicis grata familiaritate ineunda opus est duce perito et bene cordato, qui quaecunque ad mentis et animi cultum ex illis antiquis sapientiae fontibus redundant, recte in usum legentium convertere et scientia praeditus sit et animo propenso. Has autem paterni iuventutis amici partes scholae magistrum suscepisse, quis non concesserit?

Primum igitur in veterum libris interpretandis magistri officium haud dubie in eo versetur necesse est, ut linguae, qua scripti sunt, indolem, leges, ingenium aperiat, sermonis structuram, colorem et elegantiam demonstret, quae cuiusque auctoris in suo dictionis genere atque etiam aetatis propria sint, enarret, et opera sua navata id assequi tendat, ut discipuli non modo quid scriptor graecus latinusve sibi voluerit exacte intelligant, sed etiam ut ipsorum ingenium in cogitationibus et sensis apte et expedite eloquendis acuatur et excolatur. Hoc officium ab initio fere unicum, dein praecipuum, nunquam autem, dum scholastica disciplina continuatur, prorsus deponendum esse, ex infinito eius ambitu per se patet.

Crescente autem magis magisque linguarum antiquarum scientia et usu alterum iniungetur magistro negotium, quod eo continetur, ut argumenta et res in veterum libris narratae seu descriptae explanentur legentibus. Homines enim insignes eorumque fata et facta memoratu dignissima ediscere, temporum ad seriem quaeque recte adaptare, causas rerum earumque vim pernoscere, quo loco gestae sint locorumque situm et rationem ad tabulas geographicas perspectam habere adolescentes, ut optandum haud dubie est, ita sane mirificam nobis ad haec eos instruendi opportunitatem praebent veterum libri inprimis historici. Pari modo poetarum quoque de diis deabusque fabulas, quoque vinculo inter se cohaereant, philosophorum denique cogitata et praecepta ex hominum vetustorum mente explicare necesse habebit harum literarum interpres, quo sibi alumni quam aptissimam universae antiquitatis imaginem cogitatione fingere possint, et ipsi quoque intelligentia et rerum cognitione in dies augescant.

Tertium ad quod iuvenum animos in studiorum progressibus advertere non supersedebit doctor peritus, ea est artificiosa, quae scriptoris expositioni seu poeticae seu historicae, seu oratoriae seu dialecticae cum rebus ipsis depictis intercedat, ratio demonstranda, ut, quod in nativa illa veterum dicendi fingendi componendi felicitate ad sensum recti et venusti, pulchri et decori exacuendum et elimandum valet, vi sua gaudeat et efficacia.

De hoc triplici eius, qui interpretandi artem in scholis profitetur, negotio exercendo omnes facile viri docti mecum consentient; velim et in eo, quod quarto loco ponam, quodque ad veram humanitatem effingendam quum proxime pertineat, haudquaquam nostris scholis negligendum esse equidem censeo. Eorum dico omnium, quae tanquam placita et praecepta ad res divinas et virtutem humanam spectantia in legendis veterum scriptis occurrunt curam providam et diligentem. Nam si verum est quod Socrates docuit, ut ipsorum antiquorum hominum utar auctoritate: pietatem erga Deos vel Deum virtutis fundamentum esse; si porro Ciceronis sententiae suffragari cogimur, dicentis: ad honestatem natos nos esse, et: nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius esse virtute: profecto, quamquam sunt magni aestimanda et assidue tuenda quae antea commemoravi munia, omni tamen pondere gravior habenda est earum rerum et sententiarum iusta observatio, quae ad Dei cognitionem et cultum et ad virtutis commendationem pertinere queant. Sicut enim amicus ille imperitum iuvenem e convivio revertentem benevole prosequens, quippe ad eius animi integritatem omnium maxime attentus, non omittet eorum, quaecunque vere, generose et honeste ibi dicta erant, identidem eum commonere, ut infixa haereant pectori, ubi contra prave sensis, contortis sophismatis, perniciosis ludibriis male ne captus esset timendum sit, ea diligenter expendere, falsitatem et vanitatem detegere et refutare nihil antiquius habebit; ita etiam veterum scriptorum in scholis explanator hanc sibi sanctissimam legem dicere debet, ut, quae in eorum placitis et praeceptis vera proba honesta sint, animo legentium penitus mandet et ad vitae usum convertat, minus recta corrigat, prava et perversa, quo magis saepe veri et honesti blanda specie fallere valent et decipere, eo severius, divinae adhibita veritatis trutina exploret, convincat, convicta repudiari iubeat. Quae provincia pietatis et honestatis apud iuvenes tuendae atque promovendae ubi negligitur, magnopere verendum est, ne in literarum nostrarum tractatione scholastica humanitas vocetur quae pars servitutis sit.

Verumtamen de via ac ratione qua in eo, quod proxime collocavi, interpretationis munere progrediendum sit, per Vos, Auditores Honoratissimi, pauca disputare liceat. Est autem locorum classicorum, de quibus hic agitur, in universum genus duplex: alterum, quo de Deo rebusque divinis, de hominum conditione ac sorte et de rebus post mortem nos manentibus Veterum sensa et placita continentur, alterum praecepta ad virtutis studium et mores spectantia complectitur. Utriusque vero generis loci rursus sententias aut disertis verbis enuntiatas menti proponunt, aut factis exemplisque adumbratas, brevi interdum adiecto auctoris iudicio, vel etiam coniectura tantum e narrationis indole assequendas oculis depingunt. Haec omnia loca observanda puto et eo nitendum magistro, ut iusto

iudicio usi iuvenes honesta probent, vana deprehendant, falsa et perversa investigent fortiterque reiiciant.

Quaeritis, Auditores, qua norma, quo, in tanta hominum eruditorum quoque dissensione, arbitro idoneo discerni possit, quid quoquo loco summae veritati virtutique omnibus numeris absolutae consentaneum sit, quid non? Sanam rationem ego ut ubique sic in harum rerum tractatione ducem optimam affirmarem, ni scirem, et diversissima nonnunquam agentes et contendentes omnes sana ratione uti se iactare. Sed quid multa? In plerisque eiusmodi locis veri et falsi discrimen satis in promtu est, in aliis iisque dubiis habemus integrum arbitrum, quo nullus gravior, verbum divinum imprimisque redemtoris nostri doctrinam sanctissimam, ad quam hic illic Christianam iuventutem delegari nescio quid in se habeat inepti aut contemnendi, ni quem qua a pueritia imbutus est Christianae disciplinae poeniteat. Nam etsi me non fugit, esse inter viros doctos, qui nonnulla sacrae scripturae dogmata antiquare conentur, hoc tamen lubenter omnes concedere video: inveniri in nulla alia religionis et morum doctrina de Deo digniora mentique nostrae accommodatiora, de hominis origine et lege qua natus sit deque futura eius conditione augustiora, in nulla denique virtutis purissimae et perfectissimae tam perspicua, efficacia, celsissimo illustrata et confirmata exemplo praecepta, quam, qua nos Dei beneficio eruditi sumus, disciplina Christiana. Hoc lumine nunquam non tutissime utemur.

Ergo tu — obiiciat fortasse quis — has philologicas lectiones theologicis permutabis disputationibus? Minime ego. Hoc tantum mihi volo, ut in ceteris interpretandi, quas dixi et magni facio, legibus observandis ne ea plane omittantur, quae, data occasione, ad veri rectique sensum ac studium vel excitandum vel augendum vel denique a fraude et noxa defendendum facere possint. Tales autem occasiones primum non quaevis scriptorum plagula offert; deinde ab ea cogitatione valde abhorreo, ut super quemvis eiusmodi locum prolixae et verbosae meditationes effundi debeant, quales tantum abest ut animos erigant et inflamment, ut contra sententiarum vim infringant iuvenumque animos obtundant. Praeterea plurimis veterum quos legimus in scholis librorum locis praeclarae sententiae seu facta tanta veritatis et honestatis vi exposita sunt, ut per se, sine omni praeceptoris adminiculo, legentium menti se insinuent; alibi autem male sensa et prava facinora ita facile apparent, ut quemque lectorem, nisi corruptissimae sit mentis, in quo omnis etiam admonitio frustra esset, sua natura avertant et indignatione afficiant. Huiusmodi omnes loci silentio praetereundi sunt; non minus etiam ii, ubi in Deorum vel fati mentione nihil aliud nisi ornamentum quoddam orationis poeticae positum, haudquaquam vero auctoris propria de rebus divinis sententia expressa est.

Restant igitur accuratius interdum considerandi eiusmodi tantum loci, tum, in quibus inest quidem aut vera et honesta sententia aut erronea et noxia, sed paulo latens vel non definite satis enunciata, de qua nisi animadverteretur dolendum esset; tum alii, in quibus dictum vel factum aliquod, laudandum an vituperandum sit, primo intutu dubitatur; alii denique loci, quorum sensus quidem satis patet, neque num probari debeat nec ne, in incerto relictum, sed gravitas sententiae paulo durior et a iuvenilis aetatis ingenio remotior est, quae ambabus manibus excipiatur et in altum descendat, aut vero error captiosior et nimis auribus blandiens, ita ut, ne incautioris animi iuventus decipiatur et detrimenti quid capiat, vehementer timendum esset.

Sic, ut exemplis utar, Venia Vestra Auditores, singulis tantum vel binis ad singula formularum quas modo designavi genera, iisque ex uno fere scriptore desumtis: menti obversantur Taciti verba quae in Annalium libro VI (22) leguntur: „Sed mihi haec ac talia audienti in incerto iudicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili an forte volvantur. Quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperias, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae. ideo creberrima et tristia in bonos, laeta apud deteriores esse.“ Persimilem tertio Annalium libro (55) legimus hanc eius opinionem: „Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices ita morum vertantur.“ — Horum verborum interpretationi tale fere alloquium adnecterem: Videtis, iuvenes, quam incertus et dubius auctor, ceteroquin sui temporis facile sapientissimus, morum et rerum humanarum investigator perspicacissimus, pendeat inter firmam divinae providentiae persuasionem et rerum in fortunae temeritate positarum vanam opinionem, cui propensior certe videtur. Felices nos, qui Dei gratia, literarum sacrarum ope certissimi facti simus: eum, per quem universa et singula exstant, eadem omnia et scire et gubernare. An, perpendite, qui aurem paravit non audiet? qui oculum formavit, non videat? in cuius aedificio artificiosissimo habitamus, is suos non noverit? Quin capitis nostri capilli omnes numerati sunt, Jesu affirmante, ita ut nec boni nec mali quid accidere nobis possit, nisi Deo volente seu sapienter admittente, iisque, qui eum ament, omnia ad bonum certissime conferant!

Ex genere earum sententiarum, de quibus, num verae sint, non statim in promtu habent iudicium adolescentes, illa est, quae passim occurrit, velut Historiarum libro II (50). Exposito enim, quo animo Otho Imperator finem vitae sibi asciverit, haec addit auctor: „Duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae.“ Nempe egregium facinus appellat, quod morte arbitra-

ria sibi ipse Otho et rei publicae consuluerit. Contra Ann. libr. II. (63) cum indignatione narrat „Maroboduum, Ravennae habitum, non excessisse Italia per duodeviginti annos, consenuisseque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem." De talibus equidem ita: Quid vos? carissimi, aio, num recte ita statuitur? — Affirmabit fortasse iuvenum aliquis, ita bene se habere: nimirum, si cui nihil, dum spiret, nisi dedecus, contumeliae, aliorum saevitia, sui vel etiam, ut in Othone, rei publicae ruina, omnia durissima et foedissima exspectanda sint, tum forsitan melius, fortius et omnino hominis dignitati accommodatum esse, ab inutili et misera vita desciscere. At, o bone, respondebo: quid maioris animi censeas, tolerari adversa an relinqui? quid honestius, exstinguere animam an producere, ut aliquid certe pro viribus concessis, etsi in abiectissima conditione, vel ad aliorum vel ad tuam, dum fieri possit, salutem conferas? Quid homine Dei simili dignius: occupare fati diem, an vitam Deo debitam voluntati eius commissam servare? — Et Romano quidem homini condonanda erat tristis illa et deplorata sententia, quippe cuius virtutum disciplina, non ferme nisi decori externo superstructa, caruerit divino, quo nostra religio gaudet, fundamento; nobis sanctior persuasio convenit. Quamquam profecto et in Romanis erant, qui melius saperent; legite Ciceronem, cuius in Somnio Scipionis haec sunt verba: „Quare et *tibi*, *Publi*, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum, assignatum a Deo, defugisse videamur." Quid, o mei, nonne Christianum prope, nonne Paulum Apostolum audire vobis videmini, haec divina eloquentem (ad Rom. XIV, 7, 8.): „Nostrum nemo sibi ipsi vivit, nemo item sibi ipsi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive igitur vivamus sive moriamur, Domini sumus."

Ad sententias denique, quas aut iusto tardius animo complecti, aut nimis promte arripere solet aetas iuvenilis, partim loci veterum pertinent, qui de hominis infirmitate et de divini auxilii necessitate, de precibus ad Deos fundendis, de cohibenda vindictae cupidine, de modestia et quae similia sunt, placita continent, qualis est Taciti in vita Agricolae (3): „Natura infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo; et invisa primo desidia postremo amatur." (Conf. Xen. Mem. I, 2, 23 et Paul. ad Rom. 7, 13.) Talibus occurrentibus monere adolescentes soleo: attendant, quam vere senserint iam antiqui illi homines imbecillitatem suam animique intima desideria, quantoque magis nos melius edoctos sensus deceat submissus, pius, verecundus, temperantiae ac modestiae non immemor.

Contra si obvium fit eiusmodi dictum ut in Horatii carminibus illud (Od. I, 11):

„Sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.“

Recte quidem, ego: carpe diem! sed ad virtutem potius et egregie facta exsequenda, quam ad primo quoque tempore praeoccupandas voluptates. Imo et vitae commodis eiusque iucunditati consulas, pateatque pectus gaudiis et oblectationibus, modo ne immemor sis sapientissimi regis qui fertur dicti sane regii (Eccles. 11, 9): „Fruere iuvenis adolescentia tua animoque hilari sis annis tuae iuventutis. Indulge tibi omnia, quae animus concupiscit et oculi appetunt; scito tamen, tibi istorum omnium rationem reddendam esse Deo iudici.“

Sed haec sufficiant, ne taedio Vos, Auditores, afficiam; hoc tantum repetere liceat: nec nimis crebro, nec multis ambagibus et sermonis luxuria talia adhibenda, in plerisque locis vel uno verbo, brevi interlocutione, vel nutu et silentio significante cavendum modo esse, ne prorsus neglecta transmittantur quae ad religionis et virtutis sensum excitandum et nutriendum conducere videantur.

Hac igitur interpretandi via ac ratione si quis caute et provide usus fuerit, id maxime effici posse mihi videtur, ut veterum sensis placitis et praeceptis bene intellectis et cum nostra rerum divinarum et morum disciplina comparatis, non solum accuratius iuvenes totius antiquitatis cogitandi et vivendi ingenium perspiciant, sed ad suos ipsorum quoque sensus et studia saepius exploranda et ad divinae institutionis normam dirigenda facillime perducantur. Quodsi assecuti fuerimus, profecto et illorum humanitati erudiendae et conformandae optime nos prospexisse et summo nostro officio satisfecisse laetabimur.
